Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift

moderationis suę tenens ubique temperiem. ut nec omnibus
desint pabula nec pastoribus alimenta. quedam specialiter
solis precepit nobis. quedam vero generaliter et nobis et vobis.
Nobis namque idem servis quos pater ille familias rerum ·ii·
omnium deus. ad hoc in sua magna domo constituit. ut
populo eius verbum gratię ministremus. specialiter iniungitur sanctę
predicationis officium. generaliter vero et nobis et vobis. salutaris
indicitur obedientia mandatorum. In quibus denuo manda-
tis. tanquam ditissimis ferculis. hic celestium deliciarum
copia spiritalis exuberat. ut in verbo dei abundet quod
perfectus comedat. abundet etiam quod parvulus sugat.
Ibi est enim simul et potus lacteus. quo tenera fidelium ·iii·
nutriatur infantia. ibi et solidus cibus. quo robusta per-
fectorum iuventus spiritalia sanctę virtutis accipiat in-
crementa. Ibi prorsus ad salutem consulitur universis. quos
dominus salvare dignatur. Ibi est quod omni ętati congruat.
ibi quod omni professioni conveniat. Ibi audimus precepta que
faciamus. ibi cognoscimus premia que speremus. Ibi est
iussio que nos per litteram doceat et instruat ad scientiam.
ibi promissio que per gratiam trahat et perducat ad gloriam.
Servorum igitur quos populo suo preposuit dominus speciale volens ·iiii·
officium demonstrare. ait quod ex evangelio modo audivimus.
Quis putas est fidelis dispensator et prudens quem
constituit dominus super familiam suam. ut det illis in tempore
tritici mensuram. Beatus servus ille. quem cum venerit